

benedicuntur, ullas Indulgentias competere vel esse concessas et alias facientes aut sentientes deceptos esse, ne, si hujusmodi propositio ad aures monialium perveniat, praebeat illis ansam dubitandi seu fundandi scrupulum circa hanc materiam et praecipue circa validitatem Indulgentiarum, idcirco humiliter S. V. supplicat, quatenus benigne declarare dignaretur: Scapularia ab Oratore, uti a legitimo dictarum Sanctimonialium Praelato et Superiore habente benedicta, ut moris est, Indulgentias praedicto Ordini concessas sine ullo dubio habere, quae utique a gestantibus lucrari valeant, servatis alias servandis, quemadmodum sic definiti sperat in summa S. V. clementia. Quam Deus etc.

Die 22. Maii 1739 sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit: *non spectare nec spectasse ad Episcopum Terulen. facultatem benedicendi Scapularia seu parvos habitus B. M. V. de Monte Carmelo non obstante consuetudine et aggregati recurrant ad Superiores Ordinis pro nova aggregatione.*

Cum autem sicut dilectus filius Vincentius a Conceptione modernus Procurator Generalis Ordinis eorundem Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae Nobis nuper exponi fecit, ipse non solum Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrociniis communiri, sed etiam ad quamcumque dubitationem, quae fortasse futuris temporibus super facultate et participatione hujusmodi praecedendam exoriri et excitari possit, facultatem benedicendi parvos habitus sive Scapularia, quae Christifidelibus distribuuntur et ab ipsis ad

finem lucrandi et participandi Indulgentias a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris illos et illa gerere solitis concessas ad Superiores Ordinis hujusmodi spectare et pertinere per Nos declarari plurimum desideret, Nos specialem ipsi Vincentio Procuratori Generali gratiam facere volentes, *Decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.*

Ac insuper ad praecedendam quamcumque dubitationem futuris temporibus fortasse exoriendam excitandamque super facultate benedicendi parvos Habitibus seu Scapularia hujusmodi a Confratribus Confraternitatum sub Invocatione B. Mariae de Monte Carmelo in quacumque mundi parte erectarum et erigendarum ac participatione Indulgentiarum gratiarumque spiritualium per Romanos Pontifices Praedecessores nostros quibusvis Christifidelibus Habitum seu Scapulare hujusmodi gestantibus concessarum ad Superiores Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmelo seu ad alios ab illis deputandos privative spectare et pertinere auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae die 12. Junii 1739.

(Bull. r. t. XV. p. 293.)

Ad. dub.: An director ab Episcopo sic designatus eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum et scapularia benedicere ac imponere possit?

S. C. respondit: negative, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradenda pro rosariorum, coronarum seu scapularium benedictione.

Die 18. Novembris 1842.

(Corresp. de Rome 1848—49 Ed. II. p. 48.)

Decretum Urbis et Orbis.

Ex audientia SSmi. Die 18. Sept. 1862.

Etsi per plura decreta, praesertim vero sub diebus 12. Februarii, 7. Martii 1840 et 24. Augusti 1844 ab hac s. Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita satis superque provisum sit circa legitimam fidelium admissionem in s. scapularis sodalitates, declarando inter alia pro indulgentiarum ac privilegiorum acquisitione, ut fideles ipsi in eadem sodalitates ingredientes habitum seu scapulare ab habitibus facultatem benedictum legitime recipiant, ipsumque deferant continuo pendens a Collo unaque sui parte pectus et altera scapulas contagens; et licet a sacerdotibus facultatem habentibus non servetur forma in rituali et breviario ordinis Carmelitarum praescripta, rata habeatur adscriptio, dummodo praefati sacerdotes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione et impositione habitus ac in receptione in confraternitatem, plures tamen hujusmodi fidelium adscriptiones invalidae ac nullae prorsus inveniuntur, ita ut fideles s. indulgentiis ac privilegiis frustrentur ob habitus impositionem peractam a non habentibus facultatem vel ob ipsum habitum diversa forma confectum. At vero ne Christifideles eo modo in sodalitates adscripti ultro decipiantur, sacerdos Jacobus Etehepare Missionarius Bajonensis Dioecesis dubia huic s. Congregationi enodanda proposuit, videlicet:

1. An pro valida admissione ad confraternitatem B. Mariae Virginis de Carmelo caeteraque omnia lucra sufficiat reliquis servatis impositio habitus confecti duobus pannis in una eademque extremitate funicularum positus, modo postea ad lucrum effectivum indulgentiarum, privilegiorum etc. ipsemet admissus quilibet sibi imponat habitum rite confectum juxta decretum 12. Februarii 1840?

2. An admissiones hujusmodi etiam bona fide hucusque factae sint validae donec iterentur vel a s. sede in radice sanentur? — Et quatenus affirmative,

3. An ad praecavenda piorum perturbationes ac alia incommoda ipsi Etehepare Presbytero Missionario liceat de tali sanatione pro tota Gallia quoad omne praeteritum Sanctitatem Suam obsecrare?

Itaque in comitiis generalibus in aede Vaticana die 11. Augusti 1862 habitis Emmi Patres, audito prius consultorio Voto, respondendum esse duxerunt ad Primum: Negative. Ad Secundum: Affirmative. Ad Tertium: Non expedire et supplicandum SSmo pro sanatione omnium adscriptionum modo praedicto hucusque ubique factarum et typis publicetur decretum.

Facta demum de his omnibus SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. fideli relatione in audientia habita die 18. Septembris ejusdem anni per me infrascriptum Secretariae s. Congregationis indulgentiarum substitutum, Sanctitas Sua eminentissimorum patrum resolutiones benigne confirmavit ac insuper de apostolica sua benignitate omnes et singulas adscriptiones modo praedicto hucusque non solum in Gallia verum etiam ubique peractas clementissime sanavit et ut praefatae resolutiones et hujusmodi sanationis gratia ab universis Christifidelibus fa-

cilius dignoscantur, hoc generale decretum typis publicari mandavit.

Datum Romae ex secretaria s. Congregationis indulgentiarum die 18. Septembris 1862.

(L. † S.) F. Card. Asquinus,
Praefectus.

A. Archip. Princivalli,
Substitutus.

(Anal. J. P. 1863 p. 1807.)

2) Color.

Scapularia debent habere necessario colorem praescriptum, e. g. ceruleum in scapulari B. V. M. immacul. Similiter, qui duabus confraternitatibus v. g. de monte Carmelo et B. V. M. immac. adscriptus est, duo etiam scapularia gestare tenentur.

S. C. J. 22. Aug. 1842.

Vd. *Scapul.* (oblig.)

3) Delatio.

Ad. dub.: An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate super corpus deferendi ita ut illud physice tangant vel an super vestes retineri possint?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 26. Julii 1855.

(Anal. J. P. 1857 p. 2840.)

Vd. *Scapul.* (Bened., decr. urb. et orb. diei 18. Sept. 1862.)

Ad lucrandas indulgentias necesse est, ut scapulare super humeros portetur, nec sufficit, ipsum deferre sine distinctione.

S. C. J. 12. Febr. 1840.

Vd. *Scapul.* (color; oblig.; benedictio; habitus.)

4) Disp. ab Obligationib.

S. Congregatio indulgentiarum sacrisque reliquiis praeposita in una Ambianen. proposito dubio:

An fideles dispensari possint ab obligatione vescendi ut dicitur di magro feria IV. cujuslibet hebdomadae, quae praescripta est gestantibus sacrum scapulare? respondit: Accedente gravi impedimento non teneri confratres neque ad jejunium neque ad recitationem horarum canonicarum aut officii parvi B. M. V. neque ad abstinentiam diebus mercurii et sabathi: consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant iudicio docti et prudentis confessarii pro aliqua immutatione impetranda. In quorum fidem.

Die 6. Aug. 1841.

(Corresp. de Rome 1850. Ed. II. p. 64.)

5) Habitus dimissio.

Vd.: *Scap.* (oblig. etc.; benedictio.)

Bernardinus B. parochus N. humiliter postulat a Sanctitate Vestra:

1. An, qui rite semel adscripti in sodalitate scapularis B. M. V. de monte Carmelo, postea habitum sacrum sodalitatis dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem a potestate habente, si velint indulgentias praedictae sodalitati a summis Pontificibus concessas lucrari vel an sufficiat, ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter? Et quatenus affirmative ad primam partem,

2. Quodnam temporis spatium a dimissione habitus sacri requiratur, ut nova receptio a potestate habente necessaria sit?

S. Congregatio indulgentiarum sacrisque reliquiis praeposita ad praefata dubia respondit ut infra:

Ad I. Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam.

Ad II. Provisum in primo.

Die 27. Maii 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 527.)

6) Impositio.

Vd.: *Scapul.* (Bened., decr. urb. et orb. diei 18. Sept. 1862; recept. et obligatio.)

7) Indulgentiae.

Confirmatio et approbatio indulgentiarum ordini Carmelitarum et confraternitatibus s. scapularis hactenus concessarum.

Clemens Papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Commissa nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut spiritualium gratiarum concessionem, quae ex pia prudentique hujus sedis libertate ad priorum operum incrementum et animarum salutem processerunt, quo firmiter subsistant, Apostolici muniminis praesidio constabiliamus illasque etiam apostolicae benignitatis charitate ampliemus, et alia desuper statuamus, sicut spirituali Christifidelium aedificationi cognoscimus in Domino profuturum.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaecus Orlandus Prior Generalis Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis de monte Carmelo, quod cum a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac etiam a nobis nonnulla indulgentiae et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes tam Christifidelibus ecclesias d. Ordinis visitantibus et alia praescripta pia opera peragentibus quam confratribus et consorioribus confraternitatum s. scapularis ejusdem B. M. V. de monte Carmelo, quas ubivis locorum extra hanc almam urbem erigendi et instituendi illisque certas indulgentias et gratias spirituales, servata forma constitutionis fel. rec. Clem. PP. VIII. praedecessoris nostri super confraternitatum aggregationibus et institutionibus editae, communicandi facultas Priori Generali d. Ordinis vel illo absente ejus Vicario a rec. mem.

Decreta authentica. Tom. III.

Paulo PP. V. praedecessore pariter nostro attributa fuit, concessae fuerint, ut omnis, quae circa illas oriri posset dubietas, recideretur, ex literis apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit illarum Summarium a dilecto filio nostro Joanne tit. s. Bernardi in Thermis S. R. E. Bona nuncupato revisum, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Summarium indulgentiarum a diversis SSmis Pontificibus concessarum Christifidelibus visitantibus ecclesias ordinis B. Virginis Mariae de monte Carmelo.

Fel. rec. Sixtus IV. in Bulla: *Dum attenta* data Kalen. Aprilis 1477 ad instantiam fratris Christophori Martignoni Prioris Generalis Ordinis Fratrum B. Virginis Mariae de monte Carmelo omnes indulgentias et peccatorum remissiones a diversis Romanis Pontificibus concessas visitantibus ecclesias d. ordinis et in dicta Bulla recensitas confirmavit, approbavit et innovavit: verum quia plures illarum elargitae et a Sixto IV. confirmatae erant sub onere porrigendi manus adjutrices Fratribus, Monialibus, Ecclesiis vel domibus praefati ordinis, et beatus Pius V. per suam constitutionem: *Etsi Domini Gregis* datam 6. Idus Februarii 1567 revocaverat omnes indulgentias, pro quibus consequendis manus adjutrices porrigendae erant, fel. rec. Gregorius XIII. in literis apostolicis: *Ut laudes* datis 18. Septembris 1577 dd. indulgentias in pristinum et eum, in quo erant ante d. revocationem, statim restituit et revalidavit, dempta clausula: porrigendi manus adjutrices et elargiendi eleemosynas; ita tamen, quod hi Christifideles, qui illas consequi voluerint ecclesias visitando, sint contriti et confessi ac loco eleemosynae praedictae septies orationem dominicam itidemque salutationem angelicam recitent vel habitum d. ordinis

gestent vel Vesperas pro defunctis recitent aut ante SSmum D. Nostri Jesu Christi Corpus terram osculentur ac pro haeresum extirpatione sanctaeque Matris Ecclesiae tranquillitate christianorumque Principum pace et unione pias ad Deum preces effundant et alias juxta praedecessorum suorum literarum seriem orent aliaque peragant.

Summarium autem indulgentiarum concessarum est hujusmodi in dd. literis,

Primo Leo PP. IV. omnibus Christifidelibus, qui ecclesias B. Mariae de monte Carmelo hujusmodi in Festis Nativitatis, Annunciationis, Purificationis Dei Genetricis Mariae, S. Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus Festis S. Crucis, Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Martyrum Fabiani et Sebastiani et in die Parasceve et per octavas praefatarum Festivitatibus et vocabulis omnium ecclesiarum d. Ordinis devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas.

Secundo et Adrianus II., Stephanus V., Sergius III., Joannes XI., Sergius IV. et Innocentius IV. omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, contritis et confessis, qui praefatas ecclesias pie visitaverint in praefatis Festivitatibus et earum octavis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.

Tertio item Clemens III., Alexander II., Gregorius V. et VII. in praefatis festis et in quolibet eorumdem similem gratiam largiti sunt.

Quarto item Clemens IV. iisdem Christifidelibus, qui praefatas ecclesias quater in anno visitaverint, videlicet in quatuor Festivitatibus ejusdem Dei Genetricis Mariae, triginta annos et totidem quadragenas pie concessit.

Quinto item in privilegio generali Lucii III. remittuntur ab eodem peccata

levia, offensae parentum, negligentiae votorum factorum, dum tamen fractor ad vota rediret et male acquisita, si nescitur cui restitui debeant, praefatis locis seu illorum domibus assignentur.

Sexto demum Innocentius IV. et Gregorius VIII. concesserunt qualibet die cuilibet dicenti: Pater noster et Ave Maria, in dd. ecclesiis semel pro vivis et defunctis quadraginta dies indulgentiarum.

Septimo rursus Honorius III. et Nicolaus IV. vere poenitentibus omnium peccatorum suorum veniam polliciti sunt.

Octavo insuper Honorius IV. omnibus vere poenitentibus et confessis d. Ordinis ecclesias visitantibus quadraginta annos et totidem quadragenas de injunctis eis poenitentibus videlicet in festo vocabulorum ipsarum ecclesiarum et in die s. Parasceve nec non in die s. Crucis ac in Festivitatibus Nativitatis Annunciationis, Purificationis et Assumptionis Dei Genetricis Mariae misericorditer in Domino relaxavit et concessit.

Nono ulterius Benedictus XI. omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ter in hebdomada, videlicet quadragesimali tempore secunda, quarta et sexta Feriis, atque etiam in festis vocabulorum ecclesiarum dicti Ordinis nec non in diebus Sabbatis ob B. Dei Genetricis reverentiam et in diebus dominicis ecclesias pie visitaverint, quadraginta annos et totidem quadragenas et omnium peccatorum septimae partis remissionem in Domino relaxavit omnesque indulgentias et peccatorum remissiones a suis praedecessoribus Romanis Pontificibus d. Ordini concessas in diebus et festis praedictis duplicando.

Decimo, item Joannes XXII. omnes

indulgentias et peccatorum remissiones a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis d. Ordini concessas confirmavit ac quadraginta annos et totidem quadragenas de injunctis poenitentibus universis Christifidelibus d. Ordinis ecclesias in qualibet solemnitate quatuor festivitatibus B. Dei Genetricis Mariae, videlicet Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis visitantibus contritis et confessis in Domino pie concessit. Idemque Joannes XXII. pro animabus, quae in Purgatorio existunt et habitum hujus religionis gestarunt vel confratrum numero adscripti in honorem ejusdem B. Mariae Matris Dei die Sabbati post earum transitum intercessionibus ejusdem continuis ipsius suffragiis et meritis ac speciali protectione adjuvandis Privilegium publicavit, corroboravit et confirmavit.

Undecimo item Urbanus VI. perpetuo concessit iis, qui Ordinem Carmelitarum et Fratrum ejusdem Ordinis Ordinem seu Fratres gloriosissimae Dei Genetricis semperque Virginis Mariae de monte Carmelo vocaverint, nominaverint et appellaverint, si in gratia extiterint, tres annos et totidem quadragenas indulgentiarum.

Duodecimo Nicolaus V. omnes indulgentias et peccatorum remissiones ac omnia privilegia d. Ordini concessa a supradictis Romanis Pontificibus praedecessoribus suis in praefatis diebus et festis motu proprio ampliando confirmavit atque annos septem et totidem quadragenas in Domino relaxavit.

Decimotertio Sixtus IV. omnes indulgentias Ordini praedicto, illius domibus, ecclesiis et personis utriusque sexus in genere vel in specie quomodolibet concessas in suo robore in suaque firmitate confirmavit, approbavit et de novo concessit et in Conceptionis, Nativitatis,

Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis B. Dei Genetricis Mariae Festivitatibus et in diebus vocabulorum ecclesiarum visitantibus ecclesias, triginta annos et totidem quadragenas de injunctis poenitentibus misericorditer in Domino relaxavit.

Decimoquarto denique Clemens VII. post Joannem XXII. et Alexandrum V. eorum literas approbando habitum gloriosissimae et beatissimae Virginis Mariae Matris Dei gestantibus seu confraternitatem ingredientibus et alia servantibus, ut in eisdem literis continentur, indulgentias, peccatorum remissionem et gratias singulis utriusque sexus concessas perpetuae firmitatis robur addidit et innovavit ipsisque et aliis participationem omnium honorum spiritualium totius Ordinis Carmelitarum et universalis ecclesiae concessit.

Aliae indulgentiae concessae visitantibus ecclesias Fratrum et Monialium Discalceatorum, extensae ad visitantes quaslibet ecclesias Ordinis a SSmo D. Nostro Clemente X. per Breve dat. 30. Octobris 1669.

Sixtus V. per literas datas 11. Julii 1587 concessit Christifidelibus, qui in illorum Ecclesiis Feriis quintis Missae, centum, qui vero praedicationi aut lectioni verbi Dei interfuerint, alios centum, nec non qui ad orandum accesserint interim, quinquaginta dies: qui denique confessi eo die ibi communicaverint, tres annos et totidem quadragenas de injunctis seu aliis debitis poenitentibus misericorditer in Domino relaxavit.

Gregorius XV. per literas datas 19. Septembris 1622 indulgentiam plenariam iis, qui confessi et s. Communionem refecti visitaverint illorum ecclesias in festo s. Theresiae et oraverint pro christianorum Principum

concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione.

Urbanus VIII. per literas datas 10. Maii 1624 similem indulgentiam plenariam illis, qui in festo s. Josephi id praestiterint, et similiter iis, qui orationi quadraginta horarum de licentia Ordinariorum in Ecclesiis dd. Fratrum tantum semel in anno instituendae per aliquod spatium devote interfuerint et ut praefertur oraverint.

Denique SSmus D. N. Clemens X. per literas datas die 11. Augusti 1670 et 16. Maii 1672 plenariam indulgentiam in Festis B. V. Mariae de Monte Carmelo, SS. Andreae Corsini Episcopi, Angeli Martyris, Alberti Confessoris et s. Mariae Magdalenae de Pazzis iis, qui aliquam ex Ecclesiis d. Ordinis visitaverint et oraverint, ut supra.

Aliae indulgentiae concessae omnibus Christifidelibus a praefato Sixto V. in supradictis literis.

Illis, qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari seu latino sermone: Laudetur Jesus Christus, et his, qui responderint: In saecula vel Amen, vel semper utrisque tam salutantibus quam respondentibus 50 dies, ubicumque id factum fuerit.

Qui nomen Jesu ore nominaverint reverenter vel nomen Mariae, 25 dies, qui vero in articulo mortis, ore vel corde, si ore non potuerint, idem nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi vel nominandi idem nomen Jesu, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam.

Qui Litanias ejusdem SSmi nominis approbatas recitaverint, trecentos, qui Litanias ejusdem B. V. Mariae, ducentos, nec non praedicatoribus verbi Dei, qui inter praedicandum ad hunc modum salutandi, invocandi vel reci-

tandi seu nominandi nomen Jesu et Mariae, auditores monuerint et quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem indulgentias concessit.

Summarium indulgentiarum a fel. mem. Paulo V. per literas in forma Brevis datas 30. Octobris 1606, 31. Augusti 1609 et 19. Julii 1614 concessarum Confraternitati sacri scapularis seu B. V. Mariae de Monte Carmelo.

Primo concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui Confraternitatem s. scapularis ubivis locorum tam hactenus canonicè institutam quam deinceps instituendam de caetero ingredientur et habitum acceperint, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam.

Secundo descriptis et describendis in dicta Confraternitate vere poenitentibus et confessis, qui in festo principali commemorationis ejusdem B. V. Mariae die 16. mensis Julii aut juxta ritum nonnullorum locorum die dominica immediate sequenti celebrari solito SSmae Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam.

Tertio qui in articulo mortis, poenitentes et confessi ac SSmae Communionis refecti nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem corde, devote invocaverint, plenariam.

Quarto qui poenitentes et confessi ac s. Communionis refecti processioni in una dominica cujuslibet mensis per d. Confraternitatem cum licentia Ordinarii loci faciendae devote interfuerint et ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam.

Quinto qui ab esu carniū iis diebus, quibus confratres d. confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies.

Sexto qui qualibet die septies Orationem dominicam et toties salutationem angelicam ad honorem septem gaudiorum ejusdem Virginis Mariae recitaverint, 40 dies.

Septimo qui cum Habitu ejusdem confraternitatis poenitentes et confessi semel in mense SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et ut praefertur oraverint, quinque annos et totidem quadragenas.

Octavo qui poenitentes et confessi in qualibet ex festivitibus ejusdem B. V. Mariae SSmum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia vel capella d. confraternitatis devote sumpserint et ut supradictum est oraverint, tres annos et totidem quadragenas.

Nono qui cum lumine SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint et pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos et totidem quadragenas.

Decimo qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint et pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies.

Undecimo qui Officium B. M. V. devote recitaverint, centum dies.

Duodecimo qui Missis et aliis divinis Officiis in Ecclesia seu capella aut oratorio confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis, sive congregationibus publicis vel privatis ejusdem confraternitatis ubique faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint aut eis in eorum necessitatibus auxiliati fuerint aut eleemosynas temporales vel spirituales eis dederint vel pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint seu

componi fecerint aut devium aliquem ad viam salutis reducerint et ignorantes Dei praecepta et ea, quae ad salutem sunt, docuerint aut quomodocumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praedictorum piorum operum, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta concessit et relaxavit.

Decimo tertio insuper concessit Priori Generali Ordinis vel illo absente ejus Vicario Generali, ut hujusmodi confraternitatem beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere et instituire illisque supradictas indulgentias et gratias spirituales, servata forma praescripta in Constitutione fel. rec. Clementis VIII. super confraternitatum aggregationibus et institutionibus editae communicare possit.

Decimoquarto denique SSmus D. N. Clemens X. per Literas suas in forma Brevis datas die 2. Jan. 1672 indulsit, ut omnes supradictae indulgentiae, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes per fel. mem. Paulum V. concessae animabus Christifidelium per modum suffragii applicari possint. Hoc Summarium fideliter excerptum est ex Bullis et Brevibus citatis. *Joannes Cardinalis Bona.*

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praesens Matthaeus Prior Generalis Summarium hujusmodi apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri nonnullaque dubia praemissorum occasione emergentia dissolvi plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut opportune in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Nos igitur ipsius Matthaei Prioris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter

annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interditi aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, summarium praesertim omnique et singula in eo contenta auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Praeterea, ut confratres et consorores dd. confraternitatum s. scapularis tam hactenus erectarum quam in futurum erigendarum, qui processione in una dominica cujuslibet mensis ab illis fieri solitae commode interesse non potuerint, si vere poenitentes et confessi ac s. Communione refecti capellas suarum respective confraternitatum devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, quam Paulus V. praedecessor illis, qui processioni hujusmodi intersunt, concessit, pariformiter consequantur et similiter infirmi, captivi et peregrinantes, qui capellas hujusmodi dicta dominica visitare nequiverint, si Officium parvum B. M. V. aut quinquages Orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi et sacram Communionem recipiendi quam primum potuerint, quod adimplere omnino teneantur; fratres quoque et moniales Ordinis praefati commorantes in conventibus, in quibus non est erecta confraternitas sacri scapularis vel non fit processio hujusmodi, si litanias omnium sanctorum in

choro vel privatim, si legitime impediti non potuerint interesse choro, devote recitaverint caeteraque in literis praescripta adimpleverint praefatam plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem etiam consequantur, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus.

Porro festum principale confraternitatis s. scapularis hujusmodi, juxta indultum ab eodem Paulo praedecessore concessum, die 16. mensis Julii vel dominica immediate sequenti quotannis celebrari solitum, ob majorem devotionem vel commoditatem Christianifidelium, aut quando eadem die occurrat alia solemnitas, in aliam dominicam ejusdem mensis transferri permittimus.

Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis possint extra Urbem praefatam in singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis et in quibuscumque aliis accedente consensu Ordinariorum confraternitates praefatas, servata caeteroqui praefatorum Pauli praedecessoris literarum forma et dispositione, instituire et nullus alius sub poena nullitatis. Insuper ad augendam fidelium religionem et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christianifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis in Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis ejusdem B. M. V. immaculatae festis diebus devote visitaverint et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

illis autem, qui ad Antiphonam: *Salve Regina*, quae quotidie post completorium in ejusdem Ecclesiis solemniter decantatur, convenient et ut praefertur orabunt, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Postremo illis, qui aliquam ex Ecclesiis ejusdem Ord. in diebus Stationum Ecclesiarum Urbis praefatae, prout in Missali Romano exprimuntur, devote pariter visitaverint et ibidem prout praemittitur oraverint, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si eisdem Urbis Ecclesiis in diebus Stationum hujusmodi personaliter et devote visitarent, dicta auctoritate harum serie concedimus similiter et indulgemus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 8. Maii 1673.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 44 Ed. Luxbg.)

Re mature perpensa die 22. Febr. 1712. S. C. J. declaravit nullas alias indulgentias pro gestatione scapularis acquiri nisi illas, quas SS. D. N. Clem. XI. die 12. Maii 1710 concepit his verbis: Omnibus et singulis utriusque sexus Christianifidelibus, quibus scapularia benedicta in posterum distribuuntur, die, quo illa primum susceperint, si vere poenitentes et confessi SS. Euchar. sumpserint, plenarium, necnon eisdem in cujuslibet eorum *mortis articulo*, si etiam vere poenitentes et confessi ac s. commun. refecti, vel quaetenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen *Jesu* ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, *itidem plenariam*; ac ipsis pariter vere poenitentibus et confessis ac s. commun. refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Congreg. vel Capellam sive Oratorium

die festo ejusdem Immac. Concept. B. V. M. a I. Vesp. usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christ. principum concordia, haeresum extirpatione et s. matris Ecclesiae exalt. preces effuderint, plenariam similiter indulgentiam omnium peccatorum et remissionem concedimus.

Insuper praedictis Christianifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis et s. Commun. refectis Ecclesiam vel Capellam seu Oratorium hujusmodi in aliis ejusdem B. V. M. festis diebus visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem Quadragenas de injunctis debitis poenitentibus relaxamus.

Datum Romae die 24. Febr. 1712.

(Bull. r. t. VIII. p. 443.)

Clemens PP. XI.

In S. C. Ind. habita 28. Apr. 1716 relatis precibus Procuratoris gen. ffr. Ord. SS. Trinit. redemptionis captivorum exalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae postulantis declarari: An Sodales confraternitatum sui ordinis loco scapularii, quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui parvula crux rubri et caerulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferentes lucrari valeant indulgentias concessas iis, qui Scapularium deferunt.

S. C. resp.: *Non lucrari.*

Datum Romae die 29. Apr. 1716.

(Bull. r. t. VIII. p. 445.)

Ad dup. I. An sodales scapularis caerulei immaculatae conceptionis recitando sex Pater, Ave et Gloria in honorem SSae Trinitatis et Deiparae Virginis immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, exaltatione s. Matris Ecclesiae atque christianorum